



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Cum paßionum Dominium rarò condecatur, an non sit præsumptio velle
illud assequi. Cap. XXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

tem per actus superbiae; patientiam per actus impatientiae, & sic alios per alios vitiorum contrarios actus.

204. 1.2. q. 53. a. 3. & 2. 2. q. 24. a. 10.

Aliqui dicunt cum S. Thoma, eas minui, & perdi, per solam cessationem ab exercitio virtutum acquiratarum, quando velut mortuæ in nobis manent, & suos actus non exercet. Quod etiam ibidem asserit de intellectualibus habitibus. Quod Tironibus diligenter notandum est, quia id graues Theologi constanter asseuerant. Fugiant ergo tepiditatem, quæ causâ esse solet, vt virtutes in tepidis sint sine frequentatione actuum illarum, & sic pereant, & veluti euanescant, sine aliâ contrarietate.

205. S. Th. 1. 2. q. 65. a. 3. ad 2. & 3. p. q. 89. a. 1.

Inter has virtutes acquiratas, & infusas, hæc inter alias est differentia (quantum ad propositum nostrum spectat) quod per infusas non domantur, nec frænantur immediatè passiones, nec difficultas in bene operando, quæ sentitur ex parte passionum & habituum prauorum, per actus prauos acquiratorum, per eas tollitur, vel minuitur; sed solæ virtutes acquiratæ morales hoc præstant, & quidem non omnes, sed eæ solùm, quæ in appetitu sensitiuo, & potentis eius, concupiscibili & irascibili, resident, seu inhaerent, tanquam habitus quidam, & qualitates permanentes in suis subiectis.

Quia tamen virtutes infusæ perficiunt anime potentias rationales, intellectum, & voluntatè, vt possint actus operari supernaturales ob supernaturalia motiua, illæ quoque adiuuant ad passionum dominationem duobus modis.

Primo, mouendo per imperium rationis & voluntatis potentias inferiores appetitus sensitiuo, vt feruentius suos actus, virtutes morales, eis inhaerentes, eliciant, & per actus sic elicitos, ac ad finem altiorem eleuatos, crescant, & motibus inordinatis passionum, si exurgant, validè resistendo, eos sensim comprimunt, & frænant, & auctâ vi eos reprimendi, per auctos habitus virtutum moralium (qui quouis actu etiam remisso in probabili sententiâ Theologorum augentur) faciunt, vt semper maior acquiratur ditio, & potestas supra passiones, & tandem perueniatur ad earum perfectum dominium, tale, quale supra descripsi.

206. 3. p. q. 27. a. 3. S. Th. 1. 2. q. 57. a. 2. & q. 68. a. 7. Et 2. 2. q. 4. a. 8. & q. 47. a. 5.

Et hoc primo modo S. Thomas ait, per actum rationis, in viris sanctis ligari essentiam somitis, qui dicitur lex carnis, siue membrorum, vt ab omni inordinato motu prohibeatur. Vt enim ratio rectè iudicet, præter lumen naturale ipsi naturæ humanæ inditum, iuuant eæ, quæ sunt in intellectu, virtutes intellectuales, ei tanquam subiecto suo inhaerentes; (præter Fidem) tres speculatiuæ, Sapientia, intellectus, & scientia; duæ verò practicæ, prudentia, & ars cum suis adiunctis. Præter has sunt in voluntate aliæ virtutes, & Theologicæ, & morales: illæ sunt, Spes, Charitas; hæc sunt, iustitia, & aliæ infra explicandæ: quanquam, iustitia non est circa passiones, sed circa operationes volun-

1. 2. q. 56. a. 6.

tatis, eas ordinâs, vt docet cum Aristotele S. Thomas. Ar. lib. 4. eth. c. 6.

Præter hæc est in voluntate imperfecta virtus (quam Aristoteles negat esse virtutem, scilicet perfectam) Continentia, per quam firmatur ratio contra passiones, ne ab eis deducatur: non tamen attingit ad perfectam rationem virtutis moralis, secundum quam appetitus sensitiuus sic rationi subditur, vt in eo non insurgant vehementes passiones rationi contraria, vt docet S. Thomas. Continentia enim importat resistentiam rationis ad concupiscentias prauas vehementes, per quas appetitus sensitiuus vehementer rationi resistit, vt idem S. Thomas ait.

Dixi supra, prudentiam esse in intellectu cû suis adiunctis: quia iuxta Aristotelem, & S. Thomam, Prudentia, virtuti præceptiuæ, tres aliæ virtutes adiunguntur, tanquam secundariæ: Eubulia, quæ est bene consiliatiua; & Synesis, ac Gnome, quæ sunt partes iudicatiuæ. Synesis est iudicatiua de agendis secundum communem legem: Gnome autem secundum ipsam rationem naturalem in his, in quibus deficit lex communis. Quod S. Doctor plenius alibi explicat.

Secundo modo virtutes infusæ concurrunt ad domandas passiones per suos actus similes quoad nomina, motibus seu actibus passionum, quia se adiungendo suis actibus, faciunt, vt homo validiùs operetur aditus, & ab habitibus, qui sunt in intellectu & voluntate, & ab aliis, qui sunt in solâ potentia concupiscibili & irascibili, quos excitant.

Porro inter omnes virtutes infusas, maximam vim habet Charitas. Est enim, vt ait B. Laurentius Iustinianus, Christi gladius celestis, qui carnis animæq; confederationem noxiam (per indomitas passiones initam) diuidit, & emollit, rixas (mortificando inordinatos affectus) commouet, & pacificos perturbat hostes. Pugnare facit, vt virtutis trophæum reportet Spiritus, atque naturalem carnis sibi vendicat dominatum: qui nil aliud est, quam dominium passionum carni nostræ insitarum, in potentis eius sensitiuus, irascibili & concupiscibili.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

Cum passionum dominium raro concedatur, an non sit presumptio, velle illud assequi?

Respondeo non esse præsumptionem has ob causas.

Primo, quia Deus vult, vt simus imitatores eius, & vt simus perfecti, sicut ipse perfectus est. Hoc autem nos assequi per passionum dominium docet S. Ambrosius, ponderans illa Dei verba Moyfi dicta: Posui te Deum Pharaoni: Etenim, inquit, videt passionum omnium, nec vllis capus seculi illecebris, qui omnem istam secundam corpus habitationem, celestis puritate conuersationis obduxerat mentem regens, carnem subiiciens, & regiam quadam

quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est: ad cuius similitudinem se perfecta virtutis vberitate formauerat.

Hoc ipsum docuit S. Basilius magnus in Ociente, & ferè primus extra eremum vitæ spiritualis Magister: Qui, inquit, in se ipso, quantum in ipso sit, naturæ Diuinæ liberrimam affectuum tranquillitatem imitatus fuerit, hic desideratam prius in animo suo Dei imaginem, restituit pristino nitore. Dominium autem passionum præstat hanc affectuum vberitatem tranquillitatem. Deinde pergit ostendere, hoc esse, per imitationem fieri similem Deo.

Qui vero eo modo, quo diximus, Deo se similem effecerit, is prorsus Diuinæ etiam vitæ similitudinem acquisit, perpetuo deinceps in assiduâ usque beatitudine mansurus.

Secundò. Non est præsumptio aspirare ad acquirendum dominium passionum, quia hoc iuxta ordinarium cursum Diuinæ providentiæ, non nisi per acquisitionem eximiarum virtutum acquiritur. Vult autem Deus, ut amulæmur Charismata meliora: ut semper, in anteriora tendamus: ut semper crescamus in salutem: ut crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. Nunquam iustus arbitratur se comprehendisse, scribit S. Bernardus, nunquam dicit, satis est, sed semper esurit, sitit, in iustitiam: ita ut si semper viueret, semper quantum in se est, iustior esse contenderet: nam semper de bono in melius totis viribus conatur. Per talem autem conatum, cum profectu in virtutibus coniunctum, certissimò peruenitur ad passionum dominium.

Tertiò. Non est præsumptio dare operam, ut corpus & anima fiat decora habitatio Deo, cuius deliciae sunt esse cum filiis hominum. Atqui vtrique Abbas Cheremon apud Cassianum, differens de subiugatione rebellium corporis passionum, Factus est, inquit, in pace locus eius, id est, non in conflictu certaminis, & colluctatione viriorum, sed in castimonia pace, & cordis tranquillitate perpetuâ. Hunc igitur pacis locum extinctione carnalium passionum si quis meruerit obtinere, ex hoc quoque proficiens gradu, ac Syon spiritualis, id est, Specula Dei, consequenter effectus, erit etiam habitatio eius. Non enim in conflictu continentia, sed in iugi virtutum speculâ Dominus commemoratur ubi iam non retundit, non comprimit, sed in perpetuum confringit potentias arcuum, ex quibus videlicet aduersum nos quondam libidinum iacula dirigebantur ignita. Atqui hoc præstat passionum dominium. Decora est anima, inquit S. Ambrosius, quæ passiones corporis subigit, & ad virtutum officia conuertit, repugnantemq; motus sibi obedientes efficit. En quàm aptè paucis verbis descripsit S. Doctor passionum dominium, & quantoperè reddat animam Deo decoram: proinde præsumptio non est, ad illud aspirare, ut simus dignum habitaculum Dei.

Quartò. Non tantum non est præsumptio desiderare passionum dominium, quod non nisi per excelsos gradus virtutum acquisitos ob-

tinetur, ut potius id signum sit, in tali animâ inhabitantes Dei, si cetera requisita ad hoc habeat, & nil foueat Diuinæ voluntati contrarium. Quæramus, inquit S. Bernardus, ut dona sua multiplicet Deus in nobis (per hæc autem multiplicata, obtinetur passionum dominium) & spiritum suum auget, qui iam primitias dedit. Nullum enim omnino præsentie eius certius testimonium est, quàm desiderium gratiæ amplioris: quoniam ipse dicit: Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.

1.2. de S. Andr.

Eccl. 14.

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

Quæ virtutes sunt in potentia concupiscibili, ut moderentur eius passiones?

Respondeo Primò, in genere loquendo cum S. Thoma: Omnis virtus circa passiones, est in appetitu sensitivo. Item: Eadem virtus potest esse circa multas passiones propter contrarietatem, vel propter eandem rationem repugnandi rationi. Item: Eadem virtus moralis est circa contrarias passiones. Item: Eadem virtus moralis, scilicet Temperantia, est circa omnes passiones concupiscibiles, quia se consequuntur, & ordinantur ad idem. Non autem circa passiones irascibiles. Alij tamen in negant, ponentes in voluntate virtutes, probabiliter.

215. 1.2. q. 56. a. 4. ad 4. 216. 1.2. q. 60. a. 4. & 8. 217. 1.2. q. 60. a. 4. 218. Rayn. 1.1. f. 1. c. 3. n. 104. 219.

Respondeo Secundò cum S. Thoma: In appetitu seu potentia concupiscibili, sunt eæ virtutes, quæ moderantur sex eius passiones, amorem, odium, desiderium seu concupiscentiam, abominationem, delectationem, tristitiam seu dolorem. Sunt autem hæc: Temperantia, liberalitas, Philotimia, id est, amor honoris, veritas, affabilitas, seu amicitia, eutræpelia.

Temperantia passiones appetitus concupiscibilis moderatur circa obiecta delectabilia sensuum, præsertim gustus & tactus, ut sunt cibi, potus res venereæ, refecando inordinatas horum sensuum cupiditates.

220. 1.2. q. 60. a. 5. Arist. 1.2. eth. c. 7.

Temperantia habet alias partes integrales, alias subiectiuas, alias potentiales.

1.2. q. 155. a. 4.

Partes integrales (quæ sunt perfectiones quædam in actibus temperantiæ relucentes) sunt duæ: Honestas & Verecundia.

221. 2.2. q. 61. a. 2.

Honestas est perfectio consistens, in decore seu decentiâ operum Temperantiæ, habens horrorem cuiusvis turpitudinis contrariæ honestati.

S. Ambr. 1. de lac. c. 2. 222.

Verecundia est metus quidam in committendis rebus turpibus.

223.

Partes subiectiuæ, vel potius species Temperantiæ sunt 4. Abstinencia, Sobrietas, Castitas seu Pudicitia, Virginitas.

224.

Sed Theophilus Raynaudus in aureo suo opere de virtutibus & vitiis, duodecim partes subiectiuas numerat Temperantiæ: Amorem moderatum sui ipsius, Studiositatem, Castitatem, Ab-

1.6. f. c. 3.

Ab-